

A D L E C T O R E M.

objectionum pariter generalium præoccupatione. Hinc gradus fiet ad impugnandum Propositiones singulas, quo Pontificiæ prohibitionis æquitas Solis radiis clarior eluceat. Quâ demonstrata, refellam quidquid speciem aliquam rationis, vel autoritatis oppositæ præse ferre aliquibus fortè videretur. At nolim inutili labore, & Lectoris tædio expendere infinitam locorum farraginem, ab Adversariis adeò temerè congestam, ut plerunque plus studii opus sit, quò reperias, quam cum præscriptis dogmatibus connexionem habere Novatoribus videri potuerint, quām quo ab eis discrimine separentur. Non tamen omnino frustanea ad Jansenianorum scopum est ea citationum, et si dissolitarum, & ad institutum minimè pertinentium coacervatio. Tot enim Scripturarum, Conciliorum, Patrum ostentatio magnifica, autoritatem erroribus apud imperitos conciliat, & velut quoddam fascinum, turpitudinem aspectibus subducit. Quis enim hæreticum, vel erroneum suspicetur, quod tantis Authoribus legerit stabilitum? Plures quoque scientiâ, & Fidei zelo præditos à refutandis erroribus absterrit, quos viderint tam multis (et si fallacissimis) argumentis, tricis, Patrum allegationibus implicatos. Mibi verò à peritioribus persuasum est, eam ineundam esse in refutandis erroribus rationem, ut neque difficultates adversariorum dissimulentur, neque frivolis quibusque objectionibus dissolvendis oleum perdatur, & opera; nè & Lectoris tempus inutiliter pereat, & frustrà exerceatur patientia. Nolim porrò debitor esse, aut videri Jansenistis: Sed, si post editionem Operis, quidpiam à me prætermissum censuerint, aut majore donandum luce, ulterius addico obsequium; &, opitulante DEO, confido, me Catholicorum utcunque impleturum desideria, Jansenistarum forsitan superaturum.

Confutatis Propositionibus singulis, aggrediar schismaticam Quesnelli Querimoniam, & Protestationem; Janseniana Hexapla, & cæteras, quæ ad me pervenerint, Propositio-